







NICOLAI TULPII  
AMSTELREDAMENSIS  
OBSERVATIONES  
MEDICÆ.

*Editio nova, libro quarto  
auctior, et sparsim multis  
in locis emendatior.*

LUGDUNI BATAVORUM  
SUMPTIBUS SOCIETATIS.  
M.D.CC.XVI.

HISTORIA  
INFANTIS  
MONSTROSI

A

VIRO CELEBERRIMO

D. MICHAEL HEILAND

Profess. Gissense

Anno cIo Io c Lxxvi.

PROPOSITA

*Nunc primum hic edita.*

8810-3 *Per*

3

# MONSTRI HASSIACI DISQUISITIO MEDICA PRÆLOQUIUM.

**Q**uod non ita pridem in Theatro Anatomico Spectatorum & ordine & numero illustrium oculis obtulimus Monstrum; Idem nunc penitiore mentis acie perlustrandum in Cathedram fistere Medicam animi fert lubentia. Cæterum in limine nobis adhuc constitutis forsitan incongrue quis oggeret: Nos quoque hac ipsa Tractatione Orbi erudito novum denuo obtrusuros Monstrum, dum fœtum parturimus Medicis plane dissimilem, neque ulla ratione cum iis convenientem, quin potius omnimode alienum. Quid enim Medico cum Monstris? Certe cum ea utero in iis quæ secundum naturam ipsi competent actionibus neutquam sint impedimento, neque ineptitudo aliqua in operationibus naturalibus obeundis exin concilietur eidem, ut illi tanquam parti affectæ inhærent, matricique sint inclusa; Ejus neque Morborum titulo, neque etiam Causarum morbificarum nomine dignari merebuntur. Quin & quamvis inter res præter

naturam homini obvenientes essent referenda; Attamen cum nullis signis, nullis indiciis sui præsentiam manifestent, curam eorum ceu rerum ignotarum nequaquam gerent Medici. Hinc & iidem hisce rationibus moti, de Partu vitioso tractantes, hanc de Monstris, Partibus & Conceptibus sine dubio etiam vitiosis, materiam data opera præterierunt, prout illud testatur *Hier. Mercurialis l. 1. de Morb. Mulier. c. 3.* Verum enim vero hæc modo allata tanti non æstimas, ut à semel coepto tramite nos dimoveri patiamur. Quanquam enim Monstrum utero nec sit morbus, nec causæ morbificæ peculiaris naturam induat, atque sic, ad uterum respectu habito, neque Medicam poscat manum, neque etiam certis egeat signis. Est tamen in proprio corpore, Medici quod imploret opem, quodque ob vitiosam compositionem sensibus est manifestum. Et licet malum hoc tantum non semper supra artem sit positum, Medici tamen est in causas illius inquirere, quo præcaveat, ne iterato vitiosus procreetur fœtus. Sed & ex accuratiore pariter & intiore monstroforum corporum inspectione, in penitorem rerum ad Artem nostram pertinentium cognitionem devenire Medicos quandoque posse, ex infra dicendis patescet. Id quod pensantes proxime elapo ut & moderno seculo Medicorum nonnulli, solis Veterum vesti-

vestigiis inhærere noluerunt, sed plus ultra tendentes partim Historiam recensendo, partim in specialem naturam causasque inquirendo Monstrorum humanorum præprimis, doctrinam per tractare nulli dubitarunt. Ex quorum numero sunt Ambr. Pareus peculiari tractatu, Job. Georg. Schenkius itidem peculiari opusculo. Franc. Vallériola l. 1. loc. Comm. c. 18. Hier. Capivaccius l. 4. pract. Med. cap. 6. Job. Langius l. 2. Epist Med. 8. Duncanus Liddelius l. 3. Art. Med. c. 14. Rod. à Castro l. 2. de Morb. Mul. c. 6. Dan. Sennertus l. 4. pract. Med. part 2. sect. 4. cap. 7. & 10. Greg. Horstius part. 2. l. 1. obs. 34. Job. Riolanus peculiari disputatione Opusculis ejus Anatomicis inserta. Nic. Tulpius l. 3. obs. Mcd. c. 37. & seq. Thom. Bartholinus in Observationibus suis Anatomicis rarioribus passim, & alii quos recenset Matth. Moronus in directorio Medico Practico proxime elapso anno à Seb. Schæffero auctius edito hoc titulo. Quin etiam veteres Medicos ad unum omnes à Monstrorum doctrina non plane abhorruisse, sed illorum nonnullos naturam eorum indagasse, vel unus Galenus aut quicunque tandem fuerit Autor libri Definitionum Medicarum Galeni operibus inserti, satis evincit. Idem quoque apparet ex libro inter Spurios Galeni relato, cuius titulus *Historia Philosophica*. Unde liquet supra laudatum Mercurialem præter causam injurium

in Veteres pariter ac sui seculi Medicos loc. cit.  
fuisse, gratisque insimulasse eos neglectæ penitus  
in suis scriptis hujus materiæ. Cum itaque tot tan-  
tosque Viros hic duces & autores habeamus, ve-  
niām utique merebimur, si illos præeuntes se-  
quemur, atque, quæ circa Monstrum nostrum  
Hassiacum observavimus à Lege naturæ aliena,  
Orbi eruditio proponemus, adjectis iis quæ circa  
Causas illius & nonnulla alia meditati sumus. Et  
ipsi illi Magnates tutos quoque nos præstabunt  
vel sola sua autoritate adversus *Plat.* qui l. 5. de  
*leg.* ne publice monstra enutrirentur severe ve-  
tuit; Nec non contra *Aristot.* qui l. 7. *Polit.* c. 16.  
omnem alimoniam plane Ipsi denegavit; Vel  
vero hoc nomine quod in publicum simus produ-  
cētri nostrum hoc Monstrum, non ut illud fo-  
veamus, vel ad similis generationem Naturam  
invitemus, sed potius ut de causis illius certiores  
redditi, tales Naturæ errores devitare discamus,  
atque præterea ex iis quæ notatu digniora obser-  
vata sunt, & manifesta comparuerunt, in abstru-  
sorum notitiam devenire possimus. Ne autem  
confusè & sine ordine hinc inde vagemur, præ-  
sentem hunc nostrum Discursum in tria dispe-  
scemus Capita, quorum Primum Historiam Ana-  
tomicam omnium atque singularum Partium,  
earum maxime quæ à sueta Naturæ norma de-  
clinarunt, recensabit. Secundum in Causas ea-  
rum

rum tam Internas, quam Externas inquiret: Tertiū aliquā hinc promanantia Porismata traderet, eaque enucleanda proponet.

## C A P U T . I.

**D**ie 15 Martii 1664. nascitur in pago *Ulf* prope *Niddam* in *Wedderavia* sito Patre *Johanne Eysern* viginti quinque circiter annorum ejusque uxore primipara ejusdem ferē ætatis ob paucitatem sanguinis, aliaque signa relata ad frigidum & siccum tendente temperamento, octavo post factam conceptionem menſe Infans magnitudinis ulnæ dimidiæ, uno Capite, unico truncō, sed quatuor brachiis totidemque cruribus præditus. Caput in calva, capillis atris, digitī articulū circiter longis hirsutum, mole insigne, prominentiis in utroque latere conspicue protuberantibus. Facies anterior glabra, quoad suas partes sic satis concinna, niſi quod aures externæ antorsum versus effent nonnihil depresso. Huic faciei quæ opponebatur Capitis regio, & ipsa quoque ad planitiam aliqualem subsidens, capillis non ita spissis ornabatur, circa flexuram priori jugulo è diametro oppositam binas exhibens auriculas sibi mutuo oppositas, ita ut helices quidem exteriores, tragi verò interiora respicerent, missis deorsum lobis utrisque. Ad latitudinem digitī transversi superiora versus observabatur oculus, cum

sua palpebra dextra & sinistra. Dextra inquam & sinistra. Efformabant enim ambæ, cætera debitè efformatæ, rimam in longitudinem protensam, ita ut alter angulorum, major videlicet, deorsum vergeret, alter verò sursum spectaret. Huic supereminebat exigua distantia exilis quædam verruca pensilis. Inter hanc quasi faciem & oppositam veram interjecta duo occipitia, quibus substratæ diversæ duæ spinæ dorsi, quarum quævis terminabat ad suum os sacrum clunibus hinc inde stipatum. Porro & quælibet facies subiecto suo gaudebat pectore, nec non hoc subsequente abdomen. Atque sic truncus hic ex duobus quasi coagmentatus, unica eaque continua tegebatur cute, nisi quod infra cartilaginem ensiformem utramque retrocedens, cum musculis abdominis admodum exilibus cutis versus dorsum, nudum ostenderet peritonæum, ad cujus superficiem repebant vasa umbilicalia, à minus curiosa obstetricice, vel ruptura vel sectione profundius à corpore divisa. Nullum in abdomen evidens signum differentis sexus, sed ad utramque saltim pubis regionem, leviusculæ aliquæ protuberantiæ externa uteri labia ruditer exprimebant; in altero præterea perinæo foramen quoddam, stylum mediocrem admittens, cunnum quodammodo repræsentabat. Clunes inter, instar cicatricum aliquarum vestigia quædam foraminibus destituta, podices exprimebant. Extra

tra truncum suo quilibet loco propendebant artus, bene formati, exceptis pedibus qui circa malleos interiora versus distorquebantur. Brachia verò ad summum humerum nigris pilis aliquo modo vestita. Ungues ubivis perfecti.

Peritonæo aperto mox in conspectum fese offerabant viscera; Epata nimirum bina, totidemque Lienes. Epati singulo inserta erat sua Vena umbilicalis loco debito; quemadmodum & arteriarum Umbilicalium insertio in iliacas erat consuetæ similis. Quodlibet Epar sua gaudebat Cysti fellea, familiari humore referta. Locus in Hypochondriis naturalis, ob magnitudinem tamen, locique angustiam umbilicalem simul regionem occupabant. Magnitudo diversa & Jecinorum & Lienum, ita ut majori Epati qui appositus erat Lien minor esset altero qui minori Epati ad latus sinistrum adstabat. Quaterna hæc viscera vasis suis debite donata, medium complectebantur Ventriculum unicum, eumque angustiorem, cui substratum Pancreas itidem unicum, aliudque satis exile, affixum tenuissima membrana fundo ventriculi subnexa, Omentum mentiente. Continua ventriculo Intestina, excrementis fere destituta, brevissima, utpote quæ ne quidem longitudinem corpusculi exæquabant; unico anfractu ad inferiora ducebantur ad pelvim alteram, ubi sine nexu cum partibus vicini hiabant. In ipsa vero pelvi intestinorum con-

glomerati gyri, vix tamen longitudinem digiti  
æquantum hærebant, sine perceptibili itidem con-  
nexione cum superioribus.

Crassorum & tenuium differentia minus con-  
spicua. Nexus eorum cum mesenteriolo tenuissi-  
mo. Renes in altero quidem corpore bini, loco  
naturali siti, succenturiatis suis renibus substrati,  
secundum leges naturæ rite efformati, deorsum ad  
pelvim mittentes ureteres, desinentes in substan-  
tiam quandam carnosa membrana constantem,  
magnitudine pisi oblongati, mucilaginem aliquam  
candidantem in sua cavitate continentem, quam  
aperta eructabat: Vesicæ urinariæ respondere eam  
diceres, cum & ad illius fundum urachi vestigium  
appositum observaretur. In altero vero corpore  
unicus saltem ren, isque dexter cum suo succentu-  
riato quoad omnia perfectus, itidem emittens ure-  
terem inferiora versus, qui prope pelvim quadan-  
tenus in aliquam cavitatem ichorem serosum con-  
tinentem, expandebatur, atque definiebat in cor-  
pus exangue ad instar alicujus verrucæ, manifesta  
cavitate destitutum. Sinister Ren deficiebat, ejus-  
que locum occupaverat succenturiatus justo non-  
nihil major, vas ex utroque trunco gaudens. Va-  
forum spermaticorum nullum vestigium, hinc  
neque reliquæ partes Generationi inservientes  
conspiciebantur, nisi quod in altero corpore ca-  
runcula quædam ad modum verrucæ pensilis, cir-

ca regionem pubis deprehenderetur, ad quam terminabat foramen, ad Perinæum alterum superiorius descriptum, atque sic uterum aliquem mentiri videbatur. Diaphragmate unum quidem corpus cingebatur, alterum vero eodem distituebatur.

Thorax cavitate unica, duobus sternis, duobus dorsis diametaliter sibi oppositis, atque his ipsis interjectis quatuor costarum seriebus efformatus, duplex continebat Cor, majus alterum, alterum minus; Quodlibet suam accipiens Venam cavam à sibi substrato epate; Quodlibet propria gaudens Arteria aorta, quarum trunci ascendentibus seorsum, nulla intercedente combinatione collum petebant utrumque. Descendentes utriusque aortæ trunci, postquam sese mutuo excepissent, in duos dispescabantur ramos, inferioribus partibus sanguinem à cordibus deferentes Reliqua utriusque cordis structura naturali examissim conformis. Quin & quodlibet cor propriis circumvallatum erat Pulmonibus in duas partes more solito divisis, quarum quælibet in tres distincta erat lobos, atque de cætero rite erant illi efformati, nisi quod majus qui cingebant Cor lobis essent oblongioribus, iisq; manifesto & profundius divisis.

Larynges duos dupli Arteriæ asperæ superpositos, glandulosa Thymi corpora duo, eaque non contemnendæ quantitatis stipabant, ad jugulum sita,

sita, suaque mole thoracis cavitatem occupantia, desinentia vero ad latera faucium. Iisdem laryngibus imminebat utrinque uvula ab extremo palato propendens. Inter ambos larynges ferebatur Oesophagus, cui iidem ad latus dextrum atque sinistrum erant appositi.

Ad regionem auricularum posteriorum incisione facta, retro fauces exigua quædam cavitas occurrebat, in quam meatus auricularum dictarum in principio quidem divisi, mox tamen in unum coeuntes desiisse videbantur. Continebat illa Linguam substantia alteri similem, magnitudine vero & figura admodum differentem; pisum enim majus ea exprimebat; Cui tamen os Hyoides proportione quantitati linguæ respondens substernebatur. Oculi ad unum omnes una cum palpebris rite efformati, nisi quod posterioris musculis nulla observato digna pinguedo interjecta. Sed & ejusdem nervus opticus ad latus dextrum deorsum versus vergebatur.

Cerebri conformatiōnē deprehendere non licuit, ob summam ejus flacciditatem, & jam incipientem corruptionem, nisi quod duplex observaretur glandula pituitaria, foramen occupans, quod à binis ossibus Cunei formibus, osseque Cribriformi constituebatur, faucibus fere imminens. Duplex nervorum principium fuisse ex duplicitate spinalis medullæ facile colligitur. Num vero &

Ce-

Cerebellum duplex fuerit, non potuit observari.

Ossea compages, nonnullas quoque exhibuit singulares observationes præfertim circa caput, ubi latera apposita, Bregmatis ossa, naturali modo se habebant, nisi quod protenderent magis ad utrumque latus extrorsum, ibique dextrorsum pariter & sinistrorsum, ad fundum cranii cum duobus ossibus Occipitis necabantur, versus anteriora vero cum Temporum ossibus, quæ & ipsa ad anteriora nonnihil deorsum declinabant. A Bregmate porrò eadem Syncipitis ossa, recto tramite in utroque latere ad angulum usq; superiorem utriusque futuræ Lambdoidæ jungabantur, cum aliis itidem Syncipitis ossibus, ad posteriora spectanti bus, quæ & ipsa necabantur iisdem ossibus Occipitis, ab altero latere inferius, superius vero atque è diametro ferè ossium frontalium suscipiebant unicum os, ad bregmatis regionem pollicem transversum latum, ait inferiora versus nonnihil angustatum. Tribus hisce ossibus nonnihil depressis, subjectum erat aliud os, ossi petroso forsan respondens, figura ad triangularem accedens, cuius longius latus superiora spectabat, coarctando sese inferiora versus ad meatus usque auricularum appositarum, quæ utut membranaceæ inferiorem angulum quasi dissecabant. Idem os in medio fere sui exhibebat processum exilem styliformem, sursum versus tendentem: Huic os una cum duobus

bus syncipitis & uno frontis osse, insculpta erat  
oculi posterioris orbita, à supernis deorsum ad in-  
teriora vergens. Offa duo Cuneiformia ad interi-  
ora porrecta, cum osse Cibriformi foramen ro-  
tundum ad magnitudinem pisii minoris constitue-  
bant, vertici diametraliter oppositum. Cunei-  
formium ossium alterum quidem processibus Pte-  
rygoidibus gaudebat, alterum iisdem destitueba-  
tur. Os Cibriforme unum, quemadmodum &  
utriusque Maxillæ offa singula. Reliqua vero offa  
substrata Capiti ad unum omnia duplia, Spina  
dorsi duplex sibi opposita. Utriusque porro spinæ  
Vertebra prima destituebatur portione sui corpo-  
ris, quod à tuberculo sinuato occiput suscipiente,  
hinc quidem sinistro, illunc vero dextro ad poste-  
riora dirigitur; atque sic neutra integrum consti-  
tuebat circulum. Thoracis vertebræ in altero qui-  
dem corpore numerabantur undecim, in altero  
duodecim. Lumbalium vertebrarum ultima in-  
signi foramine patebat, ipsius processu spinoso  
dihiscente. Quemadmodum & iidem ossis Sacri  
processus ample distabant, ita ut medulla spinalis  
huc terminans, desinebat in abscessum aliquem  
sanguine ichoroso perfusum. Offa pubis & ipsa in  
utroque skeleto ad latitudinem digitii minimi  
transversi hiabant. Costarum prima & secunda  
dextra unius corporis in medio sui per coalitum  
junctæ, utrisque tamen extremitatibus separatis,

& hinc quidem vertebris suis, illinc vero Sterno nexionis. Costæ trium serierum undenæ: Quarta vero lateris sinistri duodenæ. Sternum utrumque cartilagineum, excepto unico ossiculo prope jugulum, quod in altero quidem lentis, in altero vero sesami seminis magnitudinem exæquabat.

### C A P U T I I.

**H**istoriam Anatomicam sic satis abunde recensuimus. Ulterius nunc progrediendum erit, atque indagandum, quibus Causis monstrofa hæcce efformatio accepta ferenda sit. Non enim in exactam alicujus rei notitiam devenire datur, absque Causarum adminiculo, quandoquidem scire est rem per Causas cognoscere. Frustra autem accuratam eamque generalem de Monstris doctrinam quis à nobis hic expectabit; Alienus est hic labor à nostro scopo, quin & , nisi ad hominem restringeretur idem, à foro Medico esset non-nihil remotior. Quapropter nolumus prolixiores esse in adducenda Etymologia, in proponenda Synonymia, atque enodanda differentia quam communiter volunt inter Monstra, Prodigia, Ostenta atque Pottenta. Nominalibus hisce qui delectatur, adeat *Etymologicum Opus Posthumum* Ioh. Gerardi Vossiip. 327. sub tit. *Monstrum*. Neque etiam pluribus discutiemus, num illa faltem Monstrorum nomine veniant, quæ aliena genitura,

tura, vel specie diversorum animalium seminibus  
genita sunt, neque ullius certi Animantis formam  
externam gerunt, atque planè degenerant ab eni-  
tentis Matris natura? An vero & Illa Monstra sint  
appellanda, quæ ex efformationis in utero factæ  
vitio Morbos patiuntur Compositionis enormes?  
Quemadmodum hoc discriminem suppeditat *Arist. l.*  
*4. de Gener. Anim. cap. 3.* sub finem; Qui &  
utrumque partum Monstri nomine insigniendum  
esse concludit, cui sententiaz elegantiores subscri-  
bunt, eamque approbant. Cæterum quo felicius  
in investigandis præsentis nostri Monstri Causis  
progredi possimus, fundamenti quasi loco præ-  
supponimus, Naturam non unum, sed duplēm  
hic intendisse fœtum, adeoque Gemellos Ge-  
mellasve distinctas in lucem produxisse Matrem,  
nisi fuisset præpedita. Duplicitatem hanc ostendunt  
stamina totius molis corporeæ, ossea nimi-  
rum compages ad amissim duplex, solum si ex-  
cipias Caput, in quo tamen & plura ossa duplia  
occurrere ex Historia superius recensita constat.  
Ostendunt eandem extremi Artus exacte dupli-  
ces; Ostendunt Musculi tantum non per univer-  
sum monstrosi, hujus Corporis habitum dupli-  
cato dispersi; Ostendunt Viscera Abdominis princi-  
paliora itidem duplia; Quam maximè verò Vi-  
tæ Principium duplex, Corda videlicet bina cu-  
riosissime non modo secundum omnes particulas  
effor-

efformata, sed & necessariis suis flabellis, Pulmonibus rite fabrefactis studiosissime stipata, de eadem duplicitate indubitanter loquuntur. Quod si quis contra *Philosophum* malit cum *Galen* Animam radicaliter in Cerebro collocare, nec ille habebit, cur de Gemellis procreandis ambigat, præsertim si cum *Casparo* & *Thoma Bartholinis* & qui Ipsos sequuntur, Ventriculum quartum, ob officium Nobilem Ipsius dictum, Officinam Spirituum Animalium asseruerit: Nam & hunc duplitem in hoc nostro subjecto fuisse ex duplice Spinali Medulla, duplique Principio Nervorum, satis longe à se distantibus & quasi è diametro oppositis, haut difficulter colligere licet. Hisce ita breviter, pro rei tamen exigentia sufficienter præmissis, ulterius pergendum, atque videntum, ad quænam Morborum genera hic declinaverit Formatrix. Scilicet Essentiam Monstrosum Partus, modo non à diversis specie Animantibus inter se mixtis fuerit productus, in enormi aliquo atque insigniter vitioso Compositionis Morbo consistere aliunde constat. Quod si ergo historiam in principio relatam penitiore intueamur oculo, non unos Morbos hoc in Subjecto ultro deprehendemus. Et initio quidem morbos in Numero deficiente ad Monstrosum huncce Partum, plurimum contulisse ex Relatione superiore appareat. Nam & in Capite præter Ossa Cranii

non exacte pro utroque Fœtu sufficientia, defesse observabatur, pro altero quidem Gelmellorum, utraque Maxilla tam Superior, quam Inferior, alter Oculorum, Instrumenta Auditus Interna, Olfactus organa. Medium atque Inferiorem Ventres, utriusque quidem costas quasdam, alterius vero desiderarasse Diaphragma, Ventriculum cum Oesophago & annexis Intestinis, nec non substrato Pancreate, ut & Intestina connectente Mesenterio, Renem sinistrum quin & utrumque Fœtum & Vesicæ Urinariæ, & Partium Generationi dicatarum defectu labrassæ, ex superiori relatione notum est. Illa ipsa insuper relatio itidem edocet, Intestina cum Ventriculo præsentia, Pancreas quoque & Mesenterium, nec non alteram linguam, imo universum pene Corpus, & singula membra Imminutæ Magnitudinis Morbis vitiata fuisse. Præterea cum Gemella illa Corpora quæ sejuncta esse decebat, præter naturam coaluerint, hinc aliud Morborum genus quod est Connexionis denuo occurrit. Ad quam Classem lege contrarietatis referenda Musculturum Abdominis, Ossium Pubis, ut & Sacrorum dehiscencia. Pedes ad Malleolos distorti, & ad interiora incurvati, Morbos Figuræ vitiosæ præsto fuisse edocent. Situm demum mutatum Auriculæ demonstrant ad jugulum locatae. Atque sic quinque potissimum Morborum dif-

dissimilariū species miella hæcce Corpuscula  
in tam difforme redegerunt portentum : Morbo.  
Numeri defientis, magnitudinis imminutæ, Fi-  
guræ, Situs & Connexionis, in quorum Causas  
nunc accuratius erit inquirendum. Ut ut verò  
superius præoccupando monuerimus, à nobis  
non esse expectandam generalem de Monstris  
tractationem ; Non possumus tamen non pau-  
cis generales Monstrorum causas præmittere ; Via  
etenim, alias salebrosa satis, multisque obsita  
vapribus hac ratione complanabitur, quo mi-  
nore cum difficultate pervenire possimus ad sco-  
pum modo nobis propositum. Operosum autem  
omnino erit, ob differentes Eruditorum opinio-  
nes certi aliquid in hac materia determinare. Au-  
torem equidem *Definitionum Medicarum* si con-  
sulamus, tres ob causas Monstra generari depre-  
hendemus, quarum prima *Obliquitas uteri*, un-  
de membra distorta alienisque Figuris vitiata ;  
Pariter ac ex plumbo liquato aliave materia fu-  
fili conflatur corpus inæquale, si simili formæ fuerit  
facta infusio. Altera nec non *Tertia Causæ* sunt  
*Defectus & Excessus Materiæ*, qui Morbos vitiave  
Numeri & Magnitudinis tam defientis quam  
excedentis producere sunt apti. In hasce binas Cau-  
sas consentit *Empedocles l. Hist. Philos.* qui tamen  
insimul superaddit *semen divulsum*, id est, per  
Coctionis imbecillitatem non rite elaboratum &

subactum, quodque propterea & ob sui contumaciam Formatrici Facultati repugnat. *Evandum*, i.e. Spirituum copia & turgescens destitutum, unde ob calidum innatum imbecillius Facultas Formatrix debilior reddit, in suo opere si erret mirum non est, & denique tertio quod *inordinato motu fuit immissum*, hoc est, quod inæqualiter effusum est in uterum, eum in modum, quo liquidum plumbum inæqualiter in **vasa** subiecta affusum, simulacra efficit inæqualia, quo simili utitur *Rod. à Castro l.c.* Vel vero fortassis per *inordinato immissum semen* intelligendum, quod eo tempore Utero concipiendum oblatum fuit, quo ordinarie alias Natura à coitu abhorret, durante nimirum menstrua purgatione vel Utero morbo affectu laborante. Ceterum quandoquidem in modo recensisit Causis plura desiderantur, quotum alia quidem dubiæ videntur veritatis, reliqua vero non omnem Causarum numerum exæquent, hinc cum Recentioribus Causas Monstrorum, nisi vis superior atque divinum quid hic latitet, ad duas reducere lubet Classes, ad Facultatem videlicet læsam, & ad Errorem externum. Qua ratione Facultates Animæ, sua natura æque ac ipsa Anima impati-biles, lædi dicantur, non est ut hic explicemus, cum vel *ex Institutionibus* notum sit. Referimus autem ad eam Spirituum in Semine inopiam,  
 Cal-

Calorisque debilitatem. Quandoquidem enim Formatrix Facultas Spiritibus & Calore tanquam proximis utitur instrumentis, quorum beneficio materiam pro futuro homine coquit, subigit, elaborat & tandem efformat, non potest non in eorum defectu eadem materia rudis indigestaque nec non imperfecta relinquiri, aut minus congrue elaborari vel efformari. Referimus huc quoque Facultatem Formetricem à turbata Parentum Phantasia seductam; Nam & hanc in Signaturis embryoni in utero concepto variè imprimendis plurimum valere, atque Spiritibus in hoc opere perficiendo uti, observarunt Autores. Quod videatur *Thom. Fienus l. de Viribus Imaginationis.* Ad Errorem vero externum reducitur principio. Materia ex qua Partes formantur, si illa peccet vel tota Substantia, dum videlicet nefando & flammis expiendo facinore homo cum bestia congregiatur, atque sic specie diversa Semina commisceantur; unde Monstra secundum speciem Autoribus nominata. Vel si eadem excedat aut deficiat; unde vitia Magnitudinis aut Numeri, ut & Figuræ Monstrosæ: Vel denique si peccet Qualitate, unde Conceptio si fiat Purgationis Menstruæ tempore, ubi in Cacochymicis, una cum sanguine alias laudabili, vitiosi à natura solent excerni humores, Monstra tum, nulla alia intercedente Causa procreari posse testes sunt

*Rod. à Castro. Dunc. Liddelius & alii.* Pariter si eadem Materia sit crassior, adeoque contumax & Formatrici inobediens, prout illud ex *Gal. de Art. Med. c. 11.* colligere vult *Capivaccius loc. cit.* Ad errorem externum pertinet porro Locus, Uterus puta, si vel morbo aliquo laboret, vel vero angustior ille sit, sive à Causis Internis sive ab Externis angustia illa procedat. Quo & reducenda illa, quam supra ex libro Finit. Medic adduximus, Obliquitas Uteri, vel potius Inæqualitas Substantiæ, ob quam aliæ illius partes aliis magis vel minus sunt aptæ distensioni.

Hæ fere sunt Causæ Monstrorum, aut si fortean præter has aliæ occurrunt, haut difficulter ad eas revocari poterunt. Quæ vero carum ob Nostri Monstri productionem inculpandæ veniant, nunc porro investigabimus: Et ut ordine retrogrado progrediamur, Uterum inæqualitate Substantiæ laborasse, à priori equidem non constat. Neque etiam à posteriori certi aliquid colligere datur, nisi quis Pedum distortionem hinc ornatam credat, quod fundi uterini illa pars quæ orificio interno proprius adstat, à Nonnullis Cervix appellata, ad quam pedes Embryonum ordinarie contingunt, Fœtuum pedibus incrementum capientibus non sic promte cesserit; Quemadmodum videmus stirpes incurvari, si spatium crescentibus denegetur, curvatura accidente ferè in

in ea parte, quæ obstaculum proxime attingit. Idem esto judicium de Uteri morbosa Constitutione, de qua etiam, quod certo & asseveranter afferamus, nihil habemus. Probabiliore non nihil ratione de Uteri Augustia suspicandum erit. Utut enim compertum habeamus, nec Matrem arctius se constringendo, nec aliam causam extrinsecus obvenientem ullum utero impedimentum objecisse, expansionem molienti; Attamen cum nondum ante imprægnata fuerit Mater, eodem utique Conceptionis tempore gavisa fuerit utero, quo communiter Primiparæ gaudere solent. Hunc autem angustiorem ordinarie esse, constans est *cum Gal. l. de dissect. Vulvæ Anatomicorum assertum.* Sed & Siccitas, quam in Corpore Matris prædominari supra innuimus obstat poterat, quo minus post factam Conceptionem, in debitam ampliaretur magnitudinem. Siccioræ namque distensioni non ita apta esse ex *Arist. l. 4. Meteor. c. 9.* quadantenus colligere licet, & per se est manifestum. Huic angustiæ Matricis tanquam causæ non ita absonæ coalescentiam utriusque Foetus inter se, ceu effectum quis adscriberet; cum observemus Arbores arctius sibi invicem appositas in unam quandoque coire. Quamvis hujus erroris, præter modo dictam, causam aliam paulo post asserere conabimur. Materiam tota substantia peccasse, adeoque præcessisse copulam

carnalem Matris cum Bruto, & Ipsi Foetus, in quibus nihil bestiale, & constans Fama, & Ipsa denique Juris præsumtio refragatur. Sic & nulla ratio suadet ut asseveremus, in qualitate vitium penes materiam fuisse, nisi propter Matris complexionem sanguis fuerit nonnihil contumacior, Ast quoad quantitatem, Materiam, & quidem in defectu peccasse plura sunt quæ evincunt. Nam & Temperies Matris à Copia sanguinis longè recessit, quin potius hujus inopia illius est individuus comes. Eandem inopiam porro attestatur menstrua purgatio, non nisi decimo octavo ætatis anno primitus prorumpens, atque singulis quidem mensibus, pauca tamen quantitate repetens, nec ultra biduum durans, nullo unquam vel præsente vel subsequentे Symptomate, justo minorem sanguinis excretionem condocente. Atque hæc Sanguinis in toto deficiētiā satis evincunt. Speciatim verò ad uterus in magis exigua quantitate fluxisse tempore gestationis, vel non sufficienter fluere potuisse sanguinem, ut aliàs copiosus fuisset, angustiora in primipara non permiserunt vasa. Talia enim circa uterus vasa esse earum, quæ primitus utero gerunt non sine ratione afferunt *Autores*. Sed & porro paucum illum ad uterus missum sanguinem non omnem à Conceptibus in sui commodum fuisse attractum, sed majorem, quam par erat, ejus par-

partem in vasis utero vicinis hæsisse partim, partim vero in placenta uterina substituisse, & Secundinarum mole insignium expulsio, & purgatio post partum satis copiosa, quam utramque post puerperium Matri accidisse ex propria ipsius habemus confessione, haud obscurè suadere videntur. Imminutæ autem hujus attractionis causam illi, quam mox asseremus Spirituum & Caloris in Embryonibus penuriæ acceptam ferendam esse, non inficias ibunt, qui actionum Naturalium exercitium à Calore & Spiritibus dependere norunt. Et quid multis? Ipsi enormes hujus nostri Monstrorum morbi in Numero deficiente, nec non imminutæ Magnitudinis, defectum materiæ abunde testatum faciunt. Hunc enim præter Facultatis Formaticis imbecillitatem atque insimul loci angustiam Morborum dictorum à primo ortu contractorum Causam esse in *Institutionibus Medicis* docetur.

Iis quas ad Errorem externum referre placuit Monstrorum Causis, sic ad sufficientiam examinatis, & ad subjectam materiam accommodatis, proximum nunc est decernere, an & qua ratione Facultas læsa ad productionem Effectus hujus Monstrofi symbolam suam contulerit. Et initio quidem de Caloris Spirituumque Embryonum Conceptorum inopia frigidum parentum Temperamentum satis sufficienterque loquitur.

Hoc etenim prædicti qui sunt, semen & parcus & minus quoque calidum spiritibusque non ita turgidum elaborare ratio luculenter dicitat. Unde primo statim Conceptus articulo Pauperiem dictam passum est misellum, tantoque magis quod ob duplicitatem foetus dispergenda erat vis, simplici ac unico vix fortassis sufficiens. Sed & porro nullum erat sperandum Caloris supplementum à Sanguine ad Uterum affluere alias solito; Nam & hunc in Gravida nostra minus largum fuisse superius probabilibus asseruimus argumentis. Ut ita de hujus defectus certitudine vix dubitare licet. An vero præterea fortior vel alterutrius vel utriusque Parentis Imaginatio Formatrices fœtuum Facultates in operibus suis turbaverit in obscuro magis latitat. Evidem cum non omnis sed illa demum Imaginatio vim Plasticam in devia deflectere apta sit nata, quæ assensum præbet objecto Phantastico, insimulque conjunctas vel præcedaneas habet animi passiones vehementiores; desiderium præprimis & terrorem. Hi autem toto illo tempore, quo utero gestavit, Matri non obvenerint, Ipsa eadem teste omni exceptione majore, extra culpam hic quidem censenda erit Imaginatio. Verum enim vero cum non saltem Graviditatis sed & primæ conceptionis tempore Phantasia signaturas possit imprimere Fœtui, per totum vitæ decursum duraturas; Quemadmodum

dum exemplis pluribus deducit *Fienus l. de viribus Imag. concl. 54.* Forsan & hic Imaginatio certo Objecto cum desiderio fortius inhærens tempore coitus Formatricem seduxit. Et quandoquidem bina hæc Corpuscula sibi invicem connexa non incongrue exprimebant duo corpora amplexu Venereo mutuo sibijuncta, præsertim ab alterutro tergo contemplantibus ea. Quid absurdum esset si assereremus, quoniam Parentes eo tempore quod huic Generationis negotio impenderunt, omnes sensus pene in conjugales eosque arctissimos complexus intenderunt, prout illud ex non obscuro Nobis constat testimonio; insimul quoque Phantasiam occasionem fuisse noctam, quæ invitavit Formatricem ad compingenda bina Corpora, in unumque coagmentanda. Idque tanto facilius præstare potuit, si idem copulæ objectum mater primis præcipue diebus saepe saepiusque in memoriam sibi revocando, desideriumque excitando Phantasiaz iterato obtulit; Desiderium Matris prægnantis signum foeti communicare posse, jam dum *Hippocrati* innotuit, ceu patet *ex l. de Superfætatione*. De quibus tamen, cum inter arcana thori conjugalis illa referantur, quæ etiam alijs à Dicaculis nom temere deblaterari solent, nihil certi determinare licet. Conjecturæ sunt, non tamen irrationaliter & absque causa commentæ.

Atque hæc sunt, quæ de hujus Monstri Causis in re abstrusiore ex Ipsa Natura & Complexione Parentum, aliisve Circumstantiis desumptis ex relatione, & depositis ab utroque Parente ad data quæsita responzionibus gratiolè Nobis communicatis probabilibus Argumentis elicere datum fuit. Quæ ut in summam breviter contrahamus dicimus ex antecedentibus manare Morbos Numeri deficientis partim Materiæ, partim Caloris & Spirituum defectum; Morbos imminutæ Magnitudinis easdem causas, nec non locum angustiorum; Eundem hunc & Figuram vitiatam Causas agnoscere. Situs Morbos potissimum à Facultate debili ortos; quam respicere quoque videtur dehiscentia præter naturalis: Connexionis denique Morbos tum angustiam uteri, tum Formaticis errorem à Phantasia seducta ortum causas sibi vendicare.

### C A P. I I I.

**M**onstri nostri Causas vidimus in capite præcedente Internas; Materiam defectu & inopia peccantem, & Formam in variis Morbis Organicis consistentem, Vidimus & inter Externas Efficientem, Facultatem & debilem & ob seducientem Phantasiam errantem. Solus ergo restare videbatur Finis in Causis explicandus. Neque enim à parte eorum stamus, qui in Naturali cogni-

gnitione ut universam Causarum doctrinam  
mendosam damnosam & fabulosam se offendisse  
gloriantur; Ita in specie Finem Causam vanam  
in Natura præter rationem afferunt: Gaudent  
utique Naturalia suo fine, & sicuti Naturæ Na-  
turantis non est absque electione & tumultuariè  
quasi in suis operibus progredi; Ita & Naturam  
Naturatam agendo præfixum servare solere sco-  
pum notarunt Naturalis Philosophiæ indagatores  
indefessi. Hinc Naturam nihil facere frustra in  
commune apud Physicos abiit axioma. Cum ita-  
que Monstrum nostrum Corporibus naturali-  
bus adnumerandum venerit, eo quod, dum in-  
vivis erat, interno gauderet motus & quietis  
principio, Finis quoque eidem denegandus non  
videtur. Cæterum Physicorum modo allata Re-  
gula, qua afferitur. Naturam nihil facere frustra,  
sed in operibus suis obeundis certum semper re-  
spicere finem, tantæ non est certi uinis, ut non  
patiatur suas exceptiones. Scilicet multi fiunt in  
Natura & ab eadem, quæ ut fierent primario  
an unquam intendit illa, sed vel alia necessario se-  
quuntur, quæ alicujus gratia exstiterunt, quæ-  
que non particulæ, sed potius symptomata, aut  
significantius, coincidentia quædam dicenda  
sunt, quale est vacuum quod in intestino Jejuno  
observatur, prout hisce fere verbis loquitur Gal.  
l. 5. de U. part. c. 3. Ex necessitate materiæ hæc  
fieri

fieri dicuntur Philosophis ex *Arist.* l. 2. *Phys.* c. 8. Vel à Causis per accidens producuntur Natura à scopo suo aberrante. Prioris generis exempla varia passim occurrunt in Meteoris tam veris quam apparentibus; Eclipsibus, &c. Sed & in ipso Corpore humano similia occurrunt exempla, dum in eo secundum naturam à Natura varia producuntur Excrements præter intentionem. Unde & talia non primaria Naturæ intentione, sed secundario fieri vulgo dicuntur. Posterioris generis sunt omnes effectus, qui Fortunam vel Casum Causas agnoscunt. Ad quorum classem cum Monstra referantur, quis est qui Finem etiam huic Nostro definitum cupiat? Eum certe; qui secundum Naturam est, neutquam agnoscer. Num vero alium aliquem, & qui supra Naturam positus sit, finem sibi vendicet, vel ut paucis & clarioribus exprimamus verbis, an omen aliquod, illudque triste, portendat, haut injuria quis ambiger. Evidem cum Monstrorum officium sit ut in mundum missa Generi humano triste aliquod obventurum monstrarent, idque muneris hactenus strenue excuta sint, dum & priorum seculorum & modorni Scriptores plenis buccis contestentur, Monstrorum generationem sinistri quid semper subsecutum fuisse: Unde & quasi in Proverbium abiit quod Partus Monstrofieri fere semper sint ominosi; Metum utique non

con-

contemnendum futuræ alicujus calamitatis & nostrum hoc Monstrum injiciet Spectantibus, qui illud iræ divinæ, ob peccatorum à nobis commissorum atrocitatem mox exarsuræ, non vanum prænuncium habebunt, aliisque credendum inculcabunt, quo justissimus Judex scelera nostra pœnis gravioribus, Fame scilicet, peste, & Bello ulcisci minatur, nisi resipiscendo in verum virtutis tramitem, à quo declinaveramus, in tempore revertamur. Et sane fatemur non evanida ad persuadendum esse, sed multum habere ponderis argumenta, quæ gratis & absque probationis onere ultro admittuntur, ut in se spectata dubiæ admodum sint veritatis, haberque orator hoc beneficium cum dialectico commune, ut per falsa etiam suum finem obtinere sit potis; & ut Hic veram inducit conclusionem ex præmissis ab Adversario concessis, quamquam eadem à veritate sint quam longissime remotæ: Ita & Ille scopum suum, qui est persuasio, assèquitur per media, quamvis illa vero non sint consentanea, modo pro veris assumantur ab iis, quorum animi in assensum erant alliciendi Optatius autem & magis ex voto succedit persuadendi negotium, si applausum quis captat plebis alias ad superstitionem usque credulæ, & quorum animi, ob ingeniorum hebetudinem, ipsa Naturæ penetralia penetrare non possunt, & proin omnibus,

bus, quæ probabili quadam, ad elegantiam ta-  
men composita oratione in medium proferuntur,  
faciles subscriptibunt. Ast quorum manus mentes-  
que oculatæ sunt, non temere credunt nisi quod  
evidentibus argumentis probatum vident. Atque  
sic nec in præsenti hoc negocio promte admittent,  
vel funesta ex necessitate subsequi Monstrorum  
generationem, vel speciatim præsens nostrum  
triste quoddam minitari. Ex superioribus nam-  
que patet, singula Monstroſi hujus partus vitia ex  
Causis Naturalibus posse deduci; Unde super-  
naturale quid eidem ex necessitate aliqua si impon-  
neretur, & Philosophicis & Medicis principiis  
non esset conforme Quin & Supremum Numen  
Monstris ceu prædicatoribus usum esse, vel uti  
velle, quibus peccatores diviantes in veram semi-  
tam revocarentur, neque ex Naturæ, neque ex re-  
velato lumine haec tenus innotuit. Salvator potius  
Extraordinarios ejusmodi declamatores qui deside-  
rant, ad Moſen & Prophetas audiendos remittit.  
Argumenta quibus contrarium probare satagunt,  
vix assensum repugnantibus extorquent. Nomina-  
lia certe & ab Etymologia desumpta apud Cor-  
datiores parum Autoritatis obtinent. Quoties-  
cunque enim ad Etymologias determinandas de-  
venitur, Bone Deus! Quæ lites tunc inter Gram-  
maticos exoriuntur! Quæ bella exurgunt! maxi-  
mè dum decernendum an Nomen Verbale suos

nata-

natales debeat Verbo, an Verbum Nomi ni. An nimirum v. g. Lex, Vox, Sedes à Lego, Voco, Sedeo; an vero vice versa hæc ab illis suas ducant origines, aliis hoc, aliis illud mordicus defendantibus. Pariliter itaque & hic dubitari posset an Monstrum à Monstrare, an contra Verbum à Nomine originationem habeat. Sed esto! Dicatur Monstrum eo quod monstrret. Quæ ratio urget ut exin colligatur monstrare aliquid sinistri? Annon eadem facilitate inferri posset, monstrare Monstra eventus & tempora lætiora? Quid? si quis Monstrum per Syncopen contractum diceret quasi Monasterium? coque fundamento probare conaretur invitari homines Monstris natis ad vitam Monasticam eligendam, qua gratiam divinam, strictè observatis Ordinis professi regulis, promereant, imminentemque poenam avertant? Ex Theologis certè Angustanæ Confessioni additis nemo huic argumentationi subscribet, invertet magis illam, atque Monasteriis, quorum incolæ Monstris non absimiles, eadem nata extre-  
mum minitari exitium fortassis afferet. Sed hæc obiter. Patet autem exin Etymologica si ita nominare ea fas est, argumenta, cum ad utramque contradictionis partem probandam sint apta, nihil firmi, nihil solidi concludere. Experientiam, ad quam porrò provocant, quod attinet, eam videlicet docere, Monstra semper subsecutas cala-

mitates, ad eam non nostris sed Iohan. Riolani verbis respondemus: Si inquit in disp. de Monstro Lutet. nato c. 7. imperita plebecula tam diligenter animum adverteret ad felices successus, qui Monstra comitantur, ut Pacem, Nativitatem summi alicujus Principis, serenum & salubre Cœlum, Ammonæ copiam, non pauciores observarent eventus faustos & felices, quam infortunatos. Et rem hanc ita se habere deprehendet, qui oculo non ante fascinato Historias aspicerit. Unum & alterum adducere juvat Monstrorum, quæ aliquam cum Nostro obtinuerunt similitudinem, quæ tamen sinistri & infortunati nihil, quin fauna quoque unà sunt subsecuta. Circa tempora Jacobi quarti Scotiæ Regis Monstrum novi generis ibidem natum est, quod Georg. Buchananus l. 13. Rerum Scoticarum sequentibus describit: Inferiore quidem Corporis parte specie maris, nec quicquam à communi hominum forma discrepans. Umbilicum vero supra, trunco Corporis, ac reliquis omnibus membris geminis, & ad usum & speciem discretis. - - - Variis voluntatibus duo corpora secum discordia discutiebant, ac interim litigabant, cum aliud alii placeret, interim velut in commune consultabant. Illud etiam eo memorabile fuit, quod cum inferne crura lumbive offenderentur, utrumque corpus communiter dolorem sentiret. Cum vero superne pungeretur aut alioqui cæderetur, ad alterum

rum corpus tantum doloris sensus perveniret: quod  
 discrimen etiam in morte fuit magis perspicuum: nam  
 cum alterum Corpus complures ante alterum dies ex-  
 tinctum fuisset, quod superstes fuit, dimidio sui  
 computrescente, paulatim contabuit. Quo ipso ta-  
 men tempore Idem Scotiæ Rex non tantum insig-  
 nem victoriam navalem ab Anglis reportavit, na-  
 vibus Anglicanis una cum militibus in prædam  
 captis; sed & ( verba sunt ejusdem Authoris ) cum  
 nec avarè nec crudeliter hæc Victoria exercetur --  
 tamen jucunda pax, tanta tranquillitas, & velut  
 ancillante fortuna reguis virtutibus, tantus om-  
 nium frugum & fructuum proventus est secutus, ut  
 è seculo plusquam ferreo ver aureum renatum fuisse  
 videretur In patrii soli vico Satzano nomine, an-  
 no superioris seculi decimo quarto, quinto Idus  
 Martias Monstrum in usitatæ magnitudinis natum  
 refert Aelius Rhodiginus l. 13. Lect. antiq. c. 3.  
 illudque describit hunc in modum: Infans fuit bi-  
 ceps, multa in eo mira: Primum magnitudo qua-  
 drimestris. Facies utraque similitudinis prope indis-  
 cretæ. In Capitibus crines aliquando longiores ac ni-  
 gricanter. Inter utrumque Caput ex collimitio hu-  
 merorum tertia surrigebatur manus. Sed quæ aures  
 longitudine non excederet, nec integra visebatur o-  
 mnino. Hoc ipsum Monstrum in Italia, ubi jam  
 aliquot annis intestina discordia late vastitatem de-  
 derant, vice prodigiæ habitum est, præsertim

cum altius intonaret bellorum procella, teste eodem. Ast vanum fuisse Italorum, quem ipsis Monstrum incusserat metum ex Paul. Iovii lib. 13. Hist. sui temporis deprehendere licet. Sic a ille: *Annus à partu Virginis millesimus quingen-tesimus quartus decimus universam in primis Itali-am, ceterasque provincias, quæ proxime bello ex-arserant, quietissimas habuit.* Anno Urbis condi-tæ sexcentesimo secundo nascitur puer ex ancilla quadrimanus, quadrupes, & quatuor oculis; teste Werner. Rolevink in fascil. temporum Aetate quin-ta. Quo tempore inchoatum, & intra quadrien-nium finitum bellum Punicum tertium, quod Carthaginem urbi quidem exitiale fuit, Ro-manis verò magis quam ad votum finitum est, cum ad eam reducta fuerit urbem Carthago, quæ non amplius timeretur, juxta senatus consultum, quod tamen plenariam eversionem non intende-bat, referente L. Ann. Florol. 2. rer. Roman. c. 15. Idem modo laudatus Autor in fascic. tempor. ætate sexta memoriæ prodidit, tempore Othonis primi in Italia Mulierem monstruosam visam duo habentem capita & cætera membra usque ad umbilicum; una comedente vel dormiente, alia quandoque neutrum faciebat. Ast Idem Imperator quo pacto Italiam à tyrannide Perengatii, qua illa premebatur libera-verit loquuntur annales, adeo ut tandem omni-bus pacatis diem suum obierit, teste eodem Au-tore.

tore. Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto in agro Veronensi natum Monstrum uno Capite, duobus pedibus, totidem vulvis, ventribusque, quatuor verò brachiis præditum. Rempublicam Venetam nil mali eo tempore sensisse, quin potius non multo post Regnum Cyprium in suam redegisse potestasem testantur Historiographi. Monstrum anno Seculi undecimi sexagesimo tertio Ungariæ natum, fœminei sexus supra umbilicum geminatum hominem, unum infra referens, ab *Antonio Bonfinio rerum Ungar. Decad. 2. l. 3.* descriptum, num mala quæ Italia passa est portenderit, quod judicium est modo laudati *Autoris*; num verò potius Fœdus & Pacem in Ungaria inter Gersam Ladis laumque ejus fratrem, & Salomonem hōrum Patruelem ante dissidentes, dissidio jam jam in bellum exarsuro, facile deprehendet qui dictum locum penitus ab omni affectu remotus aspicerit. Et quid opus ut multa peregrina cumulemus, & è longinquo petamus testimonia, cum ipsa Germania sufficientia suppeditare possit. Ex pluribus unum vel alterum saltem nunc afferre sit satis. Ex *Lycosthene de Prodigis* refert *Job. Georg Schenck. in Monstrorum historia p. 64.* Anno sesqui millesimo quinquagesimo quinto Argentinæ visum Monstrum virilis ætatis ejusdemque sexus, non procul à Kniebis natum, ad cuius pectus aliud Corpus mem-

bris omnibus absolutum ad genua usque propendebat,  
 solo Capite in altero Corpore tecto. Hujus Nativita-  
 tem uno vel altero anno post exceptit vindemia  
 largissima per universam Alsatiā & loca vicina,  
 qualis intra seculum non fuit observata, quam  
 pluribus describit *Balth. Kogman Argentor in*  
*Chronico Patrio MS part. 3* Propius adhuc acce-  
 damus, nostramque consulam Hassiam; & eam  
 quoque nobis consentientem observabimus. Vedit  
 illa superioris seculi anno septuagesimo septimo  
 Monstrum satis horrendum in pago *Hohenreichen*,  
 Fabro lignario natum, ex cuius fronte, inter  
 commissuram utriusque ossis frontis, egredi vide-  
 batur membrana quædam carnosa, quæ ad supe-  
 riora tendens in globositatē se expandebat, du-  
 pla quantitate & amplius excedentem Caput ipsius  
 infantis, in cuius cavitate serum aliquod contine-  
 ri fuit judicatum. Labium superius fissum ad na-  
 sum usque, qui ob varias excrescentias racematus  
 quasi ad inferius usque labium per medium supe-  
 rioris aperturam propendebat. Utraque brachia  
 fere ad flexuram usque Cubiti, Thoraci adnata.  
 Pedes vero introrsum versus varie distorti; Prout  
 icon à Serenissimo Hassiae Landgravio Wilhelmo  
 glorioſissimæ memoriae Fratri itidem Serenissimo  
 Georgio beatissimæ recordationis transmissa id  
 ipsum exprimit. Funesti tamen nihil, quod me-  
 moriae dignum fuerit judicatum, subsecutum es-  
 se,

se, constat ex Historiis. Ex adverso potius  
sequenti anno non sine insigni totius Orbis Chri-  
stiani emolumento, Persarum Imperator acerri-  
mum Christiani nominis hostem vicit, trucidatis  
*Tartarorum Turcarumque triginta millibus*, recu-  
perata universa Provincia Sirvana, urbe tum op-  
ibus tum munitionibus instructissima direpta, atque  
propugnaculis, quæ Mustapha extruere ceperat, so-  
lo æquatis, teste Sleidano contin. l. 18. His & aliis  
c. pluribus exemplis forsitan motus *Michael de*  
*Montaigne*, monstrorum infantem, cui à mu-  
cronata cartilagine ad umbilicum usque adnatus  
erat alias infans minoris staturæ Capite destitutus,  
qui que suo tempore in Galliis visebatur, nihil fune-  
sti, nihil sinistri, sed salutari portendere potuisse l. 2.  
c. 30. his verbis asserit: *Ce double corps, & ces mem-  
bres divers, se rapportans à une Seule teste, pourroient  
bien fournir de favorable prognostique au Roy,  
de maintenir sous l'union de ses loix ces parts & pie-  
ces diverses de nostre estat.* Recensuimus justo for-  
tassis prolixius varia exempla Monstrorum & hæc  
subsecutos eventus lætiores aut certè non semper  
tristes; Recensuimus autem non eum in finem, ac-  
si portenta sint necessaria signa temporum lætio-  
rum, sed ut demonstremus quam lubricis nitan-  
tur fundamentis Prognostica à monstris desumpta.  
Unde etiam videmus futurorum ex his præfigiis,  
variosque significatus, alios aliter, pro affectu

quisque suo, iis affingerē. Hujus rei Exemplum  
 inter alia suppeditat Monstrum Tiguri natum eo  
 tempore, quo Ecclesia Genevensis & vicinæ  
 Helveticæ à Pontificiorum quisquiliis repurgabam-  
 tur, id quod *Florimond. de Remond.* Romano-Cat-  
 holicæ religioni addictus, præ sagium interpreta-  
 tur novi illius Monstri, Calvini nimirum, re-  
 formationem iis in locis meditantis & suscipientis.  
*Verba iphius l. 7. de la Naissance de l'heresie c. 17.*  
 Sunt sequentia: *En ceste mesme faison, cum ni-*  
*mirum Joh. Calvinus in reformanda religione*  
*Genevæ effet occupatus, naquit en ville de Zurich*  
*un enfant, ayant deux têtes, trois mains, trois*  
*pieds; Monstre qui sembloie presager monstre, qu'on*  
*a veu depuis. Quam tamen interpretationem ne-*  
*que Genevenses neque reliqui Helveti Protestan-*  
*tes unquam concedent. Atque hinc satius erit,*  
*vel plane nullam Ipsius adscribere significandi vim,*  
*observantes ea quæ Jacobus Sadoletius Episcopus*  
*Carpentoratensis & Cardinalis de Prodigiiis in ge-*  
*nere scribit ad Cardinalem Benedictum Accoltum*  
*l. 7. Epist. 249. De ostentis, inquit, & prodigiis*  
*quæ multa scribis & mira, Romæ inspecta, par-*  
*tim aliis ex locis nunciata fuisse, sane ego quam mi-*  
*nimum labore. Quo enim portentorum significatione*  
*opus, cum quæ è talibus solent significari damna,*  
*mala, incommoda quotidie sentiamus? quæ satis*  
*ipsa portentum sibi sunt: nec ab aliquo disjuncto*

monstro, sed ex seipsis non magis pretendunt, quam inferunt calamitatem. Nihil certè novarum claudium jam expectamus, quod non ante fuerimus experti: nisi forte universus impendet interitus. Sed hæc Deus viderit, in cuius manu sunt emnia. Quia propter à talibus vaticiniis non patiamur metum aliquem nobis incuti, imitantes Appium Claudium Pulcrum Consulem Romanum, qui cum primo bello Punico instans in Sicilia prælium Pullarii dissuaderent, eo quod pulli non pascerentur, contemtis his auspiciis, *Videamus*, inquit, *num forte bibere velint; & in mare conjectis pullis cum hoste manus conseruit*, successu tamen minus fausto, prout refert *Machiavell.* lib. I. de Republ. c. 14. Aut vero hoc fortunatiorem L. Pampiriū Cursoremitidem Consulemque Romanum sequemur, qui auguria ex pullis non pastis funesta in Pullarium retorsit, & ut eventus suo præfigio responderet, eundem inter prima signa constitui mandavit, quo ante prælium cæso, pugnam cum Samnitibus iniit, & victoram reportavit, viribus illorum quam maxime fractis attestante *T. Livio Dec.* I. l. 10. Quod si quis aliquod vaticinum nihilominus à Monstris desumptum velit, ei suasores erimus, arripiat modo laudati Domini de Montaigne saluberrimum consilium, qui suspendendum aliquantis per judicium censet, & ex post facto Monstrorum significatio-

nem interpretandam monet. De peur inquit loe. supracit. que l'evenement ne le desmente, il waut mieisx le laiser passer devant. Car il n'est que de diviner en choses faites. Ut quum facta sunt, tum ad conjecturam aliqua interpretatione revocentur juxta Cic. l. de divinatione. Hinc, secundum hoc monitum, non absone quis statueret nostrum Monstrum exoptissima quæque portendisse, uberrimam scilicet annonam in patrio solo, & pactas inter utrumque Imperatorem inducias in orbe Christiano, votis calidissimis ab omnibus petitas; quorum prius ex fœcunditate Matris primiparæ rariore exemplo Gemellos gignentis: Posterius autem ex coalitu amborum arctoque inter se complexu, plausibili aliqua probabilitate probare quis posset. Sed de his satis. Ad alia eaque magis Medica nunc tendendum.

Vidimus Monstrum nostrum octavo mense natum, & quidem vita defunctum, quo ipso videtur stabilita Hippocratis opinio, hunc mensem fœtibus fatalem asserentis. Cæterum neminem fore credimus, qui Compositionis vitia huic partus tempori, tanquam Causæ adscribet, cum ultimi menses sint dicati soli sic dictæ exornationi. Num vero Causa mortis in octavum sit conjicenda mensem, quia ex jam laudati Senis edicto l. de Carnibus Octavo mense natus nullus unquam vixit; ambigere quis posset. Fuit autem jam ante

te ab illis de Hippocratici hujus effati veritate dubitatum, atque non leves dubitandi rationes recenset *Dan. Sennert. in Instit. l. 1. c. 10.* Quibus adde Mulieres ex incertitudine factæ conceptionis in computatione mensium saepissime & tallere & falli. Id quod Idem *Hipp.* adducit. *l. de septimestr. partu Causam verò mortis maximæ partus difficultati, quam fœtus sua natura imbecilliores sustinere non fuerunt potis, si quis adscriberet, non ita multum à vero aberraret.* Unde hoc quidem subjectum Hippocraticæ de Octimestri partus vitalitate denegata sententiæ nequaquam faver.

Magis adhuc illud adversari videtur Ejusdem de Nutritione fœtus in utero opinioni, quam suetione ore facta celebrari expressis his afferit verbis: *Puer in utero, inquit l. de Carnibus, adductis labiis ex utero Matris fugit nutricatum.* --- *Sivero quis inrerroget, unde quis hoc sciat, quod puer in utero trahit & fugit, huic ita respondendum: Pueri nascuntur stercus in intestinis habentes; & quam primum nati fuerint tum homines tum pecora, illico alvum deponunt.* At qui nullum haberent stercus, nisi in utero suxissent. Imo neque mammam, illico ut natum est animal, sugere nosset, si non in utero suxisset. Hæc Hippocrates, seu potius Autor libri de Carnibus; Sunt enim qui suppositum & inter spurious Hippocratis hunc librum relatum malunt, atque Polybium Autorem constituunt, prout sus-  
pica-

picatur *Rod. à Castro l. 3. de Natur. Mul. c 17.* Quam ipsam doctrinam superioribus seculis tanquam veritati minus conformem à maxima Medicorum parte derelictam, nonnulli nostro seculo denuo mordicus defendere sunt ausi. At præsens hoc nostrum Monstrum eandem non parum dubiam reddit. Quis enim mente poterit conjicere, unicum eumque angustiorem Ventriculum suffecisse tantæ alimentorum copiæ & suscipiendæ & digerendæ, quam exigebant duo Fœtuum corpora, Quis crederet adeo numerosa vasa chylifera, quæ nutriendo utriusque fœtui neceſſario requiri nemo inficias ibit, tam exile mesenteriolum capere potuisse? Sed & porro intestinum hoc, quod, collatione instituta cum duplici fætu, vix ad duodecimam accedebat partem eorum intestinorum, quæ utriusque fœtui secundum naturam debebantur, adeoque brevissimum, neutiquam suscipere poterat oscula dictorum vasorum chyliferorum in tanta multitudine quam ambo fœtus ad attrahendum debitum alimentum pro sui nutritione exigebant. Exile pariter hoc intestinum nequaquam par fuisset suscipiendis primæ coctionis excrementis, si hac Embryonum ventriculis esset familiaris. Neque enim in pauca quantitate cumulata fuissent per longum gestationis tempus à binis fœtibus: cum observetur, eam copiam secundum naturæ ordinem in unico cu-

mula-

mulari fœtu! quæ cum Colo & Cœcum Intestinum tantum non infarciat. Ex superiore autem relatione constat, paucissima ea fuisse in intestinorum canali reperta, haud contemnendo argu-  
mento, à Coctione prima, quæ Ventriculo ce-  
lebratur, ea non fuisse sequestrata, Atque hi sa-  
ne non leves sunt, quos à nostro Monstro patitur  
insultus hæc de Nutritione embryonis per os sen-  
tentia. Cui etiam hactenus ut calculum nostrum  
adjiceremus, neque Autoritatum excellentia ne-  
que rationum momenta impetrare potuerunt.  
Locum enim Hippocraticum quod attinet, *Hip-*  
*pocratem Hippocrati opponimus, utpote qui l. de*  
*Natura pueri sanguinem fœtus esse Nutrimentum,* atque sic consequenter per vasa umbilica-  
lia nutrir eundem, expressis afferit verbis. Equi-  
dem quid hic reponatur novimus, sed & novi-  
mus non esse multiplicanda entia, nisi argumen-  
torum pondera id urgeant. Sed & jam supra ex  
*Castro innuimus spurium ab Interpretibus haberi*  
*hunc de Carnibus librum, eumque Polybio asfi-*  
*gnari. Quicunque vero tandem sit Author, sola*  
*certè Autoritate nihil movebimur, sed obviam ei-*  
*dem ibimus non nostris sed Thomæ Bartholini ver-*  
*bis, qui l. dubior. Anat. de lact. Thorac. cap. 5.*  
*Præter Anatomici, inquit, quin & Medici di-*  
*gnitatem est Veterum autoritate vel stare vel cadere.*  
*Crevit in immensum Anatomes ut & Medicinæ*  
*scien-*

Scientia, & si Veteres ab orco revocati Theatris  
 nostris Anatomicis inducerentur, atque artem Me-  
 dicam in cultiorem formam redactam intueren-  
 tur, in alium terrarum orbem se crederent delatos,  
 plurimaque - - damnarent sua, & abrogatarum  
 observationum volumen nobis relinquenter, ante-  
 quam stygias redirent ad undas. Absit tamen ut ve-  
 nerandæ Antiquitati suum splendorem obfusca-  
 tum velimus, manet eorum debitus honor, neque  
 Veterum placita temere parvi habenda serio æsti-  
 mamus, modo rationi sint consentanea. Quapropter & hic rationes potius ponderandæ. Sed &  
 illæ parum videntur stringere. Primarium quod  
 ab excrementis in Embryonum intestinis repertis  
 desumitur argumentum, perperam pro concessio  
 habet, ac si omnia illa inibi detenta à Prima im-  
 meditè sequestrentur coctione. Cujus falsitatem  
 mox deprehendet, qui Naturam in Morbis tam  
 Universalibus quam particularibus Materiam  
 peccantem nunc Symptomatice nunc Critice so-  
 lere ad alvum deponere & per eandem ejicere ex-  
 perimento novit. Ut silentio involvamus, illos  
 qui pharmaco expurgantur humores per inferio-  
 ra, ex habitu quandoque Corporis eò deduci.  
 Quod si verò quis desideraret nosse, unde ergo  
 illud Meconium dictum in Intestina, adeat *Rod.*  
*Castro*, quil. 3. de *Nat. Mul.* c. 17. digito monstra-  
 bit viam, qua in illus materiæ cognitionem exa-  
 stius

Etius devenire possit. Suppeditat & nonnulla *Adrianus Spigelius l. de Formato Fætu part. 2. c. 3.* quæ, non tamen absque limâ, legi merentur. Alterum quod à suctione Infantis desumitur argumentum, quod videlicet illico ut natus est Infans fugere norit, id verò præstare utique non posset, nisi ante in utero suxisset, & quasi per consuetudinem habitum sibi contraxisset; parum obtinet roboris. Si namque quævis suuctio prærequiriat aliam præcedaneam, progressus tandem fiet in infinitum, à quo adhorrere Naturam docent hujus periti. Quod si tandem subsistatur deveniendo ad principium, prima illa actio Naturali instinctui erit tribuenda; Qui instinctus tam extra uterum quam in eo animal ad hanc actionem edendam concitare poterit. Quod porro alii ulterius urgent, idem observari in pullis, ut scilicet colliquamentum quoddam deglutiant, ad illud reponimus: Disparitatem in Generationis negocio inter Ovipara & Vivipara tantam esse, ut ab uno genere ad alterum peticulosum sit argumentari. Liquor præterea qui in Embryonum ventriculis albicans observatur, absque ratione pro Chylo venditatur; atque lubricum admodum est argumentum, quod ex convenientia colorum identitatem rerum concludit: Et quemadmodum non omnis humor ater in Corpore humano succi Melancholici nomine insigniendus est; neque omnes ejusdem coloris

Spi-

Spiritus, Tincturæ & Essentiæ, & alia arte Chymica elaborata Medicamenta ejusdem sunt naturæ & efficaciæ: Ita nec qui albet humor omnis Chyli appellatione jure venit; nisi & semen & lac & quam ulcera quandoque eructant purulentiam Chyli titulo salutare præter rationem quis audeat. Videlur autem illa in Foetuum ventriculis reperta materia eadem esse cum mucilagine, qua adulteriorum Intestina & ventriculi, quoad tunicam eorum internam obducuntur, eamque tertiacæ horum membrorum coctionis Excrementum esse non sine causa credimus. Gramen ad digitæ longitudinem, quod in collo vituli nondum exclusi hærens observavit *Cartesius*, eadem quoque facilitate probaret Nutritionem Foetus in utero immediatè fieri per cibos adhuc crudos, quod tamen hactenus afferere nemo est ausus. Modum & vias, per quas eò devenit, nemo mirabitur, qui novit Naturam in expellendis iis, quæ molestiam eidem creant, saepius sibi parare vias etiam alias occlusas & plane inusitatatas. Cujus rei exempla passim occurunt, & memorat *Guilb. Fabricius Hildanus Centur. epist. 51.* Ex Chirurgia cujusdam Parisiensis celeberrimi *Pierre Pigray* nomine, Militem quendam ictu sclopeti in thorace vulneratum, tertio aut quarto à curatione mense, fragmentum costæ crassum satis & tres digitos longum per asperam arteriam rejecisse. Similiter refert

*Ambr.*

Ambr. Paræus l. 24. Oper. Chirurg. c. 19.  
 acum, quam uxor quædam mercatoris Parisiensis  
 in natem dextram alte intruserat, post quadrimestre  
 spacium ex dextro inguine fuisse exclusam. Idem  
 l. cit. ex Alexandro Benedicto narrat, a um,  
 quam deglutiverat, Virginem Vcnetam per urinam  
 biennio post reddidisse. Simile exemplum ha-  
 bet T. Bartholinus Cent. 6. Observ. 99. de  
 acu à fœmina itidem Veneta deglutita, quam elap-  
 so quadriennio ad internam cruris partem extra-  
 xit Anton. Molinettus. Parile occurrit apud Iul.  
 Cæsar. Claudinum in Responsionibus Medicinali-  
 bus sequentibus; Puer quidam Hebræus septem  
 vel octo annorum habitu gracili---- Acum apita-  
 tam duorum digitorum transversorum longitudi-  
 nem excedentem ---- deglutivit: Primo & al-  
 tero anno ( quinque enim annos intra corpus delituit )  
 renum & vesicæ dolores passus fuit, arenulas, la-  
 pides, & lumbricos longos, rotundos & vivos  
 minxit. A primo & altero anno nullum posteas  
 minxit lumbricum, sed fere semper urinæ diffi-  
 cultate affectus fuit, arenulas saepe, & lapillos  
 parvos mingendo, Parentes, & ipsius pueri fa-  
 miliares, nihil de acu scientes, saepe ac saepius  
 illum Medicis curandum tradiderunt. ---- An-  
 no elapso 1604. mense Februarii magna urinæ  
 difficultate captus & fere suppressione, urinam  
 maximo conatu excernere tentans, acum jam in

*fine foraminis glandis acumine suo apparentem à  
virga sibi puer extraxit. Plura de hac Historia,  
nec non modum & vias per quas transierit acus,  
qui desiderat legat discursum Bernardini Cabassi  
Carpensis Medici, ejusdem Claud. Responsoni  
Medicinali 40. annexum. p. m. 147. ut &  
subsequens Ioh. Alberti Urbani Medici Parmensis  
super hunc Casum judicium. Alia & plura vide-  
antur apud modo laudatum Bartholinum & ali-  
bi passim. Quæ præterea innovatum hoc de  
Nutritione embryonis dogma infringere pos-  
sunt, studio jam omittimus, ad aliud tempus ea  
reservantes.*

Pergimus jam ad alia, & cum Organorum  
Generationi dicitorum plenarium in nostro Mon-  
stro observaverimus defectum, inde apparet  
quid censendum sit de Facultate Generativa,  
quam Naturali, ob Sanguinis circulationem ex  
Principum numero exclusæ, surrogatam recen-  
tiores volunt. An nimirum Generativa inter  
Facultates Principes sit referenda? Scilicet cum  
Natura in necessariis, & quæ ad vitam individui  
simpliciter requiruntur, nunquam deficiat, aut,  
nisi plane exacte elaboraverit membra vitæ ser-  
vandæ per se inservientia, analogum quid in  
horum locum substituat: Neutrum autem de-  
prehensum fuerit in foetibus hisce, ad tempus  
usque partus vitalibus; præter rationem, & ci-  
tra

tra ullam necessitatē, Generativam Faculta-  
tem reliquis Principibus adnumerari, atque hoc  
nomine Scholis obtrudi Medicis vel exin colligi  
posset. Unde & præterea confirmatur, eandem  
Facultatem non tam ad hominis simpliciter con-  
ferre, quam potius ad illud, ut eidem beneficet,  
id quod tamen à Principibus Facultatibus est  
alienum, teste Galeno cujus verba 6. de *Vs*,  
part. c. 7. Ita sonant: *Volo tibi paucis præscri-  
bere, quibus notis judicare oporteat, quæ pars in  
corpore animantis princeps quæque minime sit ha-  
benda.* Ex utilitate scilicet de utroque statuendum  
est, quæcum sit triplex genere, aut enim refer-  
tar ad vitam ipsam, aut ad vitam commodio-  
rem, aut ad horum duorum conservationem, ac  
salutem: quæ sane ad vitam ipsam conferunt par-  
ticulæ, eæ principes sine dubio sunt habendæ: reli-  
quorum vero duorum generum ab primi generis præ-  
stantia discedentium, eamminus aliis discedere sunt  
putanda, quibus hæ principes facile compatun-  
tur: magis vero, quibus minus facile. Forsan  
autem in locum Naturalis hanc Generativam sub-  
stituere placuit Autoribus, quo servaretur ternari-  
us Facultatum Principum numerus, per ali-  
quot secula in Scholis receptus. Quo nomine  
tolerari quadantenus posset. Cæterum si in re-  
verentiam Antiquitatis ternarius hic Facultatum  
primiarum numerus defendendus foret, &

Naturali suus posset concedi locus, modo sana atque debita accederet explicatio. Sed hæc vel innuisse jam sufficiat. Ulterius progrediendum.

Relationem Historiæ Anatomicæ accuratius legens deprehendet, quid judicandum de illius effati veritate, quo partes Cordi vicinas non ita facile monstrosas reddi asseritur. Nimirum partes Cordi remotissimas, artus puta ab omni labe immunes observavimus, solos si excipias pedes, ob figuram vitiatam, nonnihil deformes. Ex adverso in ipsa Cordis arce thorace, non modo unum ex Diaphragmatibus, nec non in trium serierum qualibet costam defecisse, sed & in unus seriei Costam primam & secundam coaluisse superiora itidem edocent. Hæc autem infringere videntur Cordis Principatum, quem alias hoc effato statuminatum eunt. Veruntamen si hi jam dicti errores conferantur cum reliquis vitiis, quæ partes Caput circumstantes, aut Abdominis contentas occuparunt, paucissimi illi erunt, nec idonei, qui debitam præcæteris membris prærogativam Cordi demere poterunt. Quamvis & alia suppetant argumenta, Cordis primatum demonstrantia, quæ videantur apud *Interpretes Aristote- lis*. Quibus adjungatur *Casp. Hoffmannus Comm. in Gal. de Vf. part. I. c. 16. l. 6. c. 8. l. 7. c. 8. l. 14. c. 6. It. Ejusdem de Thorace l. 2.*

Essent equidem adhuc plura quæ offerret Monstrum

*pag* 53



strum nostrum, non Medicis solum sed Theologis pariter & Philosophis discutienda, sed ad finem properantibus Corouidis loco unicum hoc proponere visum est Problema. Quænam spissiorum quidem in Capite, in summo vero humero hinc inde dispersorum, utrobique nigricantium pilorum Causa? An quia peculiaris quædam Facultas pilorum Formatrix tales iis in locis produxit? quæ Recen-  
tiorum quorundam est opinio: An quia tertiae cocto-  
nis excrementa, propter longiorem moram ad ni-  
gredinem adusta, quæ in hoc subjecto non trans-  
missa fuerunt ad Intestina brevissima pariter & an-  
gustissima, materiam suppeditaverunt, unde Calor  
utriusque Cordis vicinus lentoſ & fuliginosos va-  
pores elevatos, perque poros transmissos in præsen-  
tem pilorum formam coegit? quæ Gall. 2. de Tem-  
per. am. c. 5. l. 1. de Sanit. tuend. c. 12. l. 4. Meth.  
Med. c. 19. est sententia.

Atque hæc sunt quæ in præsentiarum circa hoc nostrum Monstrum meditatis sumus. In quibus multa occurunt, quæ Paradoxa, vel etiam à receptis  
huc usque placitis recedentia dubio procul vide-  
buntur. Quocunque autem nomine ab aliis exci-  
pientur, certo nobis persuasum habemus, non nisi  
veritati consentanea æquis & ante non occœcatis  
Lectoribus proposuisse, quod si tamen à regia veri-  
tatis via aberraverimus, veniā intricata hæc, & pluri-  
bus difficultatibus plena materia impetrabit melio-  
ra sequi paratis, si ea solidis demonstrabuntur argu-  
mentis.

~~10-77-21+26~~  
052921+26

M 78  
10-00



